



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Unus Pro Omnibus, Hoc est: Christus Jesus Dei Filius

Ginther, Anton

Augustæ Vindelicorum, 1733

VD18 12431648

Consideratio LXXXVIII. Christus in cruce pronior est ad nos exaudiendum,
quàm in sinu Patris.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-45934](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-45934)

CONSIDERATIO LXXXVIII.
Christus in cruce pronior est ad nos ex-
audiendum, quàm in sinu Patris.

*Misericordiam volo, & non sacrificium: non enim veni
vocare justos, sed peccatores. Matth. 9. 13.*

I.

Luc. II. 5.

PUleherrima est illa æternæ Veritatis parabola, imò quotidiana historia, de amico illo pauperculo, de quo Lucas, quòd de media nocte, tempore maximè incommodo & importuno ad amicum suum prædivitem venerit, impensè rogans eum: *Amice commoda mihi tres panes:* Amicus enim meus ex itinere defatigatus, & esuriens ad me hospitaturus advenit, & non habeo pro nunc temporis in domo mea, quod illi apponam. Sed quid responsi culicè? *Non possum surgere, & dare tibi.* Et quare mi Domine! non potuisti surgere de lecto, & tuo amico desideratos subministrare panes.

Mancin. lib.
4. dissert. 9.
Doctr. moral.
2;

Respondet pereleganter ad propositum Mancinus: Qui requiescit in molli lectulo, difficile audit vocantem, & difficiliùs surgit, ut indicat parabola proposita, qui verò in duro lecto dormit, facile audit vocantes. Ita Dominus JESUS, dum quiesceret in sinu Patris, tanquam in mollissimo & suavissimo lecto, difficilem se in audiendo præbebat; Ast postquam in lecto crucis quiescere voluit, propensum se ad audiendum exhibet, in quo ipse à Patre suo exauditus est in omnibus pro sua reverentia.

Cant. 3. 7.

2. Salomon Rex Pacificus pretiosum sibi quondam paravit lectulum, fortissimorum virorum semper munitum præsidio, in quo lectulo mirè se benignum atque mitem solebat exhibere; unde admirabundæ, considerando hunc lectulum, exclamarunt cum Sponsa Sionidæ: *En lectulum Salomonis sexaginta sortes ambiunt ex fortissimis Israel &c.*

Aponius hic apud Cornelium per illum Salomonis Lectulum allegoricè Christi lectulum, hoc est: Crucem Dominicam subaudit, in qua ipse Dominus, verè Rex Pacificus, moriens quievit, & obdormivit,

mivit, omnibus se præbens benignum, atque misericordem, non enim venit vocare justos, sed peccatores, misericordiam potius volens, quam illorum sacrificium. Juvat hic audire aurea verba Doctoris Melliflui:

En stat Dominus Jesus Rex tuus expansis manibus, nudo corpore, manibus simul & pedibus perforatis, capite inclinato. Consortare nunc, & elevare anima mea misera, & infirma, & alis fidei & spei ad hunc hortum charitatis enitere, & totum mentis intuitum per varia dispersum in unum collige, ac apum sedulitatem imitans ad conficiendum tibi mel devotionis ad paradisum charitatis ascende. Non est elevatus in crucem, ut se difficilem præberet accedere ad eum volentibus, sed magis ut omnibus posset paratior inveniri. O verba consolatione plena!

S. Bernhard.
Tract de Pass.
D. N, cap. 44.

3. De fortissimo Samsonē recenset Sacra Scriptura, quod in nuptiali suo convivio Philistæis tunc convivis hoc ænigma proposuerit solvendum: *De comedente exivit cibus, & de forti egressa est dulcedo.* Nemo intra spatium sex dierum inventus est, qui hoc intricatum solvere poterat problema; tandem Samsonis uxor hoc illis patefecit arcanum: *Quid dulcius melle, & quid fortius leone?*

Judic. 14. 14.

S. Augustinus per hunc leonem Christum Dominum intelligit: Ipse enim est leo de tribu Juda, qui sua morte in cruce devicit mortem, dæmonem, peccatum & gehennam: *De edente utique, id est, de morte, qua cuncta devorat atque consumit, exivit cibus ille, qui dixit: Ego sum panis vivus, qui de cælo descendi, quem humana exacerbavit iniquitas, eique aceti & sellis amaritudinem propinans, atque ab eo plebs gentium vita dulcedinem conversa suscepit, ac sic de mortui leonis ore, id est, de Christi morte, qui accubans dormivit ut leo, apum, id est, Christianorum processit examen.*

S. Aug. serm.
107. de Temp.

4. Ad hoc quoque alludit Mellifluus ille Bernhardus, qui crucifixum Amorem suum considerans, quam pronus sit ad nos in cruce exaudiendum, & præstandam nobis suam misericordiam, de illo dixit, & scripsit: *Cum Jesus in summa crucis esset amaritudine, nihil exivit de ejus corde, nisi dulcedo.* Blasphemabatur in cruce à Pontificibus, Scribis & Pharisæis, maledicebatur à militibus eum crucifigentibus, & custodientibus, univèrsus populus eum deridebat sacrilegis vocibus, Jesus autem immemor omnium injuriarum, ad Patrem pro omnibus rogat: *Pater dimitte illis.* Clamabat tunc mensura peccatorum jam adimpleta vindictam, DEus Pater populo tam scelerato ultimum minitabatur excidium, armabatur totus terrarum orbis ad ultionem, Jesus autem dicebat: *Pater dimitte illis.* O verbum nunquam ex memoria nostra excidendum! Et tu offensus quid agis?

S Bernh de
Pass. Dom.
cap. 12.
Luc. 23. 34.

Olim in sinu Patris erat DEus ultionum, DEus vindictæ, puniens delicta hominum usque in tertiam & quartam generationem: *Mibi vindicta: ego retribuam;* In cruce verò ipse rogat pro delinquentibus, & sic,

Rom. 12. 19.



S. Chrylog. sic prout asserit S. Chrylogus: *Deus Dominum mutavit in Patrem, quia*

scrm. 7.

ab eo tempore amari maluit, quam timeri. Exemplum sume à latrone peccante, qui cum spe plenus, & credens nunc Christum esse DEum, vit

Luc. 25. 42.

hæc verba proferebat: Domine memento mei, cum veneris in regnum tuum: mox audire meruit: Hodie mecum eris in paradiso. Observa: Non dixit crucifixus Dominus: In extremo iudicii die te ad dexteram meam locabo, non post aliquot annos te in paradiso assumam, non post aliquot menses, aut dies tui in regno meo memor ero, sed hodie. antequam adhuc sol occumbat. O miram crucifixi Jesu liberalitatem; imò & miram latronis felicitatem. Considera ex hoc, ait Avancinus, quid non potest uno penè momento Dei gratia acceptata. O si hæc tibi affluget, anime mi, arripe eam citò ambabus manibus, & nunquam amplius eam dimitte.

Jo 8. 56.

Theophyl.

hic.

5. Objecit quondam Christus discobolis Judæis, dum eum volebant lapidare: *Abraham pater vester exultavit, ut videret diem meum: vides, & gavisus est. Et qualem diem, dices? Respondet Theophylactus hic: Diem autem dicit crucem, hanc prævidit Abraham, & gavisus est, quia per eam ipse, ceterique homines erant salvandi, non enim ignorabat per fidem, quòd immolatio Isaac filii sui figura fuerit & typus immolationis futuræ Filii Dei, per quem salvaretur orbis universus. O peccatores omnes, ite, ite ad hunc montem Moria, nunc Calvarium, ubi in hodiernum usque diem vobis utriusque & Filii Dei & Isaac filii Abraham demonstrabitur immolationis locus, in quo monte, ait S. Chryostomus, pro Isaac oblata est ovis, sed pro mundi salute oblati sunt Agni Dei. Et quid ab hoc Agno divino aliud sperare possumus quam gratiam ac misericordiam, ad quem nos extento digito monstrat Praecursor Domini: Ecce Agnus Dei, ecce qui tollit peccatum mundi: Et cur non etiam tuum, o mi Lector?*

S. Chryost.

hic hom. 47.

Jo. 1. 29.

Cant. 7. 7.

S. Isidor. hic.

6. Sponsa illa dilecta amantissimi Sponsi sui, candidi & rubicundi staturam victrici ac foecundæ palmæ comparavit: *Statura tua assimilata est palma, supra quem Scripturæ locum S. Isidorus: Apertè, inquit, victoriosissima crux palma comparatur, in quam Christus ascendens apprehendit fructus ejus, id est, dona, qua largitus est sancta Ecclesia. Vide benignitatem Christi in cruce pendentis.*

Jean 5. 2.

S. Vincent.

Ferr. fer. 6.

post Invocav.

Nota erat quondam piscina illa probatica, quæ mirabilem ægrotos sanandi habebat virtutem, quoties enim descendit de cælo Angelus (qui S. Raphael fuisse creditur) & movebat aquam, toties sanabatur unus. Sed unde, quaeso, illa virtus piscinæ? Respondet S. Vincentius Ferrerius: *Uti ostendatur virtus crucis & passionis: nam dicit Magister Historia Scholastica, quòd in illa piscina erat illud lignum, quod postea servavit ligno crucis:*


crucis: *Quinque porticus significant quinque Vulnera &c.* O felix ille, qui ad hanc gratiarum piscinam confugit! hoc est: ad crucifixum JESUM. Si hoc olim erat in umbra, & figura, quid nunc in veritate?

7. Audiamus Historiam memorandam. Ducebantur in Urbe Senensi in Italia duo sceleratissimi latrones ad mortem, quibus impositis ferro discerpebantur membra. Nihil hic poterat fessarius, dum loco seriae poenitentiae latrones illi nil nisi blasphemias contra DEUM & Sanctos jaectabant voces. Audiit hoc S. Catharina Senensis, prospicit per fenestram, & ingentem daemorum catervam flagitiosos illos miserimè exagitantium intuetur. Quid hic illa Beata? Illicò ad Amorem suum crucifixum, ut illius exoraret clementiam, se confert, quibus desperatis latronibus ferventissimis precibus suis hanc impetravit gratiam, ut, cum perventum esset ad urbis portam, ipse crucifixus Salvator plenus vulneribus, ac cruentatus sese ipsis redderet conspicuum, quem non viderunt tantum, sed & audierunt ad seriam poenitentiam invitantem. O immensam crucifixi JESU bonitatem! Ambo latrones nunc subito conversi, inclararunt Sacerdotem, cui in animo contrito ac humiliato omnia sua confitebantur peccata, & sic exantlato patienter ultimo supplicio, ad meliorem vitam transierunt.

Sicut in Vita S. Cathar. Sen. 29. April.

Proinde rectè Hugo à S. Victore: *Nemo de Dei pietate dissidat: quoniam major est ejus misericordia, quàm nostra miseria.* Hoc considerans abi in pace bene consolatus.

Hugo de S. Vi ct. l. de anima c. 3.



CONSIDERATIO LXXXIX.

Redemptio generis humani quàm carò steterit Servatori nostro Crucifixo JESU?

Quia apud Dominum misericordia, & copiosa apud eum redemptio. Psal. 129. 7.

1.

Intra sex dies DEUS T. O. M. verbo unico *Fiat* creavit omnia, sed ad recreationem hominis peccatoris triginta & plures impendit annos: *Complexitque Deus die septimo opus suum quod fecerat: Et requievit die septimo ab universo opere quod patrarat.* Sed non requievit DEUS

Gen. 2. 2.

T t 3